

R. K.
430,
7.

II c
40

ELPIDIUM,
ex
Antiquitatis priscae monumentis
erutum,
V I R O
plurimum Reverendo
DOMINO
CHRISTIANO ELPIDI
CHRISTOPHORO
DRESENIO,

Pastori animarum in Pago Nieder-Oderwitz,
Vigilantissimo pariter & meritissimo,

XVI. Kalend. Decembris,

ipsi ELPIDII memoriae in Fastis

Ecclesiae sacra

A. O. R. MDCCXLVII.

Observantiae atque devotionis

erga

Fautorem summopere colendum

TEKMHPION

consecrat

Woldemarus Salomo Hausdorffius

Gymn. Zittav. Alumnus.

ZITTAVIÆ, Literis Joannis Gottlibii Nicolai.



Miraberis fortassis, VIR PLURIMUM REVERENDE, FAVOR COLEN-
DISSIME, quibus rationibus impulsus, hoc præfertim tempore, hac le-
videnti TIBI declararem observantiam in TE meam, Verum enim ve-
ro cum favorem, quo me nunquam non dignatus es, plane singularem omni animi
devotione devenerer: jam dudum subiit me cupido ferventissima, profitendi pu-
blice, me non ultimam felicitatis meæ partem reputare, TIBI non displicuisse. Op-
portunam itaque occasionem me nactum esse ratus, cum in fastis Ecclesiæ animad-
verterem XVI. Kalend. Decembris sacratam esse memoriæ ELPIDI; atque hujus
nominis appellatione TE, cum quondam sanctissimo baptismatis lavacro initiabaris,
insignitum fuisse, lætus recordarer: non potui non, quin propositum, quod tam-
diu alta mente presseram, quousque vires sufficerent, tandem exequerer. Idque eo
magis, quod si unquam nomen aliquod boni omnis fuerit judicatum, id ELPIDI
jure suo attribuendum esse mihi persuasum est firmissime. Ea propter pro modulo
ingenii mei, quod omnino, quam sit exiguum, sentio, quædam commemorare au-
deo, de nomine, quod mihi, ut MARTIALI quondam EARINI, semper fuit,

Nomen cum violis rosisque natum,

Hyblam quod sapit Anticosque flores,

Nomen nectare dulcius beato. (a)

Detertere quidem me potuissent acerrimæ illæ censuræ, quibus unus aculea-
torum autorum *Nova*, quæ dicitur, *Bibliotheca* an. 1709. Halæ typis exscribi cœ-
ptæ, qui sale admodum mordaci defricare solent autores libellorum, qui palatui il-
lorum non arident Sect. XLIV. Vol. 5. p. 323. non solum depexum dedit M. Wilh.
STEINBACHIUM Schediasma de *claris* WAGNERIS Witebergæ luci publicæ exponen-
tem, sed & ceu absonas miserasque quisquillas, & si quid vilius istis, generatim de-
spicit atque sugillat, quicquid de *claris* *Homonymis* per animalia scribacia, quæ vo-
cat, protrudatur. Aulus quoque meos fermè repressisset Celeber, ille Polyhistor,
sed falce critica, quam gerit altè secantem, non parum metuendus, Christian, Aug.
HEUMANNUS, qui aliquanto quidem mitius, attamen non adeo benigne sententiam
dixit de *Homonymorum collectoribus*, idque adeo, ut suum ipsius schediasma, quod
de *Claris Diabolis* in Pœccile sua Tom. I. L. III. 8. p. 441 f. exhibuit, in *micrologia*
duntaxat *literariæ* classis locandum esse censeat, in *Conspectu*, Reip. Liter. C. VII. §. 21.
& 47. p. m. 393 & 439. Edit. IV. de an. 1735. Ast animum erexit atque in pro-
posi-

(a) Lib. IX, 12.

posito firmavit magnum inter eruditos Nomen. Jo. Alb. FABRICIUS, qui in Bibliothec. sua Græca, quam tantis laudibus univerſa ornavit Europæ literata tot Homonymorum nexuit Catalogos; ut veſtigia ejus, quamvis non paſſibus æqvis, ſeqvi mihi non fore dedecori confiſam. Inſuper & *συγνώμην πρωτοπέρω* venia, juxta illud *Diogenianum*, *primum experiēti ſ. tyroni*, (b) qualis ego exiſto, danda videtur, qui, tantum abeſt, ut primitias lectionis ſuæ, quales quales ſint, oſtendandi ergo in orbis literati conſpectum proferre pruriat; ut potius TIBI uni, quicquid de Nomine optimi ſignificatus, ſed hodie non facile obviusquam expiſcari potuit, ſacrum faciat, prout ſuaſit filialis, quo TE ſuſpicit, cultus, & bene ominandi, qua ducitur, pietas.

Vana quidem, fateor, ſæpius deprehenduntur omina, quæ ex nominum ſignificatu capi ſolent, dum eventus nec non fata & facta illorum, qui illis vocantur, minime reſpondent auguriis inde formatiſ. Nec calculus denegandus eſt viro elegantiaſ literarum celeberrimo, qui *Nomina veteres aſſerit, fertuito plerumque impoſuiſſe, in quibus perinde miracula ubivis quæerere, prorſus ineptum eſſe.* (c) Haud etiam difficile cognitu eſt, firmiore tibiſine non niti conjeſturas, quibus nomina quædam in aliqua gente, vel ordine aliquo eſſe fatalia, olim fuit creditum; prout Gallia in eam incidit hæreſin, fata ſiniſtra prælagire HENRICI nomen regibus ſuis, ex quo tres illorum, iſto appellati, morte violenta eaqve cruenta ex medio ſublati fuerunt, quæ aliæque exempla *ὀνοματωμαρτείας*, quam vocat, plenâ manu tradit Jo. MœLLERUS in Homonymoſcopiâ S. I. C. ſ. quo perſuaſionem de nominum quorundam felicitate aut infelicitate fatali perſtringit p. 117. ſq.

Atque quæ *Paſſibus ambiguis fortuna volubiliſ errat,*

Et manet in nullo certa tenaxque loco, (d)

luſiſſe potius videtur, quam inevitabili fatorum ordine factum eſſe, ut Romanum imperium, cujus prima fundamenta ſub ROMULO erant jacta, qua occidentem ſpectat, tam fauſta & glorioſa nactum initia ſub AUGUSTO, tam ſtebilem ſortitum ſit finem ſub ROMULO AUGUSTULO; &, qua in orientis plagas vergit, ubi ſub CONSTANTINO MAGNO, cujus matri *Helena* adhæſit nomen, effloreſcere cœperit, CONSTANTINO XV. PALÆOLOGO faſces tenente, cujus mater itidem *Helena* eſt appellata, penitus peſſum iſerit. Nec non quivis dixerit, ſuperſtitioni, qua faſcinati erant, priſcos induliſſe Romanos, quando è tribubus milites legentes illos primos numeris inferebant, quibus felicia nomina, v. c. VALERIOS, SALVIOS, STATORIOS, LONGINOS boni ominis ergo, monente Juſt. LIPſIO ad illud TACITI Hiſtor. IV. c. 76. *Ingreſſi milites, quibus fauſta nomina*, p. 526.

A 2

Nihi-

(b) ERASMI Adag. Chiliad col. 1095. Edit. Francoſ. 599. (c) *Joh. Henr. MAIUS*, F. Obſerv. ſ. L. II. p. 103. (d) *ovidius Trift.* L. V. 9.

Nihilo minus tamen nemo forte vitio vertet parentibus, si liberis nomina optimæ significationis indere illis curæ cordique sit; quod Hebræis præ aliis placuisse, nos dubitare non sinunt sacræ paginæ; ut ut posteris sese deridendos propinasse censendi sint Lydii, quibus in more positum fuit, ut suis nomina auro consonantia, qualia *Chryseis, Chrysanthus, Chrysgonus, Chrysoloras, Chrysochorus* &c. imponerent, opulentia famam sectantes (Thom REINESIUS Var, Lect. L. c. II. p. 37. seq.) Inter Christianos certe ab incunabilis Ecclesiæ usque ad hoc, quod vivimus, temporis punctum usu venit, ut insignituri sobolem suam nomine, ejusmodi eligant, quo gratiæ per baptismum collatæ memoriam liberorum mentibus altius ingigant, aut quo ad vitam christiano dignam illi excitentur, vel quo denique optimam de prole spem conceptam declarent.

Isdem omnino rationibus venerandos PARENTES TUOS, nunc inter coelites receptos, VIR PLURIMUM REVERENDE, fuisse permotos, ut TE, sacro fonte tingendum, inter cætera ELPIDI quoque nomine vocandum, atque Libro vitæ, quo titulo diptycha Ecclesiæ designantur (juxta *Christian, Aug. SALIGIUM* de diptychis Vet. Libr. Sing. c. II. §. 5. p. 23.) inscribendum curarent, firmiter ut credam, causam habeo non unam.

ELPIDI nominationem Græciæ natales suos debere, & à voce ἐλπίς *Spes* esse derivandam in aprico est, quæ innui videtur homo vel optimæ, quæ ducitur, spei; vel de quo prælagit animus, eum fore, qualem futurum esse speraverunt pii parentes; vel denique qui consecuturus sit spem vivam, ad quam regenerati sunt per resurrectionem Jesu Christi à mortuis, qui illi fide adhærent sincera.

Ἐλπίς sive SPES, si mentem humanam in statu naturali consideramus, est opinio, quam de bono futuro obtinendo habet infixam; spes autem ex gratia, divinitus concessa, oriunda est affectus hominis regenti, quo firmam fovet persuasionem immo fiduciam de bonis spiritualibus & temporalibus, præsertim æterna beatitudine, juxta ordinem à Deo prescriptum, impetrandis, ita definitibus hanc virtutem cardinalem Theologiæ moralis doctoribus. (e) Id circo spes, si cadit in mentem, sive quæ natura finxit, sive quæ lumen gratiæ illustravit, illam mira dulcedine afficit, atque novis viribus corroborat. Itaque Gentiles, quorum Romani Spem venerantur Deam, illique adæm consecrabant, innixi Spe, quid non tribuebant illi, sibi que pollicebantur?

*Spes bona dat vires, animum quoque Spes bona firmat
Vivere spe vidi, qui moriturus erat.*

Salmonensis canit Vates:

Οὐτὸ ἀνὴρ ἀειδὸς ὅστις Ἐλπίσιν
πέποιθεν αἰεὶ.

Ille

(e) *Joh. Franc. BUDDÆUS, P. II, C. III. §. I. S. 48, p. 445.*



Ille optimus Vir, qui spei confidit semper Amphitryo sentit apud EURIPIDEM in Herc. furente v. 105. Immo inter tot Philosophorum sectas numerantur, quosque à PLUTARCHO Symposiac. L. IV, Opp. T. II. p. 668. Edit. Francof. 1620. Ἐλπισταὶ, omnia spei tribuentes, qui pronuntiabant συνεκτικώτατον εἶναι τῆ βίῃ, τὸ ἐλπίζειν, τῷ πάσις ἐλπίδι ἔχ' ἡδονῆς, ἀνεκτὸν εἶναι τὸν βίον, nihil esse quod vitam magis contineat atque spes, spe autem non condiente eam, vitam esse intolerabilem. Vel ex Just. LIPSIJ versione: vitam potissimum spe contineri, eaque abscissa & oblatione, quæ ex ea oritur, vitam non posse tolerari, ad SENECÆ Epist. XIII, not. (9) p. m. 408 Edit. Plantin. 1605. Qua sub denominatione, quia præter PLUTARCHUM nemo veterum usquam horum Ἐλπιστικῶν meminerit, latere Christianos, quibus gentiles irridebant propter resurrectionis & vitæ futuræ spem, quam Præsumptionis scommate pungebant J. TERTULLIANUM L. de Testim. animæ c. 4. p. m. 15. Edit. Franck. 1597 & Apolog. c. 49 pag. 82. conjicit HEUMANNUS in Act. Philosoph. Vol. III. S. XVIII 4. p. 191. sq. Alt ad Stoicos, quoniam hi vitam melioris spem quoque crepabant, ELPISTICORUM nomen trahere mavult Jac. BRUCKERUS in Miscell. Berolins. Tom. V. p. 223 sq. Conjecturæ Heumannianæ calculum suum addit M. Gottlob. Fridr. GUDIUS in Pagano Christianorum Fautore & Laudatore S. I. C. I. §. 7. p. 13. Suspicionem autem suam C. I. BRUCKERUS in Miscell. Historiæ Philosophicæ liter. criticæ P. I. Obs. 7. p. 164. sq. denuo ornavit, adeo, ut quemvis facile in assensum trahere posse videatur. Utri autem harum sententiarum palmam tribuerit orbis eruditus, si gentiliū non pauci spe, utut vacillante, lactati, duriora vita hujus ærumnosæ fata animo tolerarunt imperterrito; Quanto magis spes, non arundine, sed immobili petra, Deo suffulta fidelium corda sva vitare perfundit, ac confirmat, ut contra quasvis adversitates stent, ceu *Marpesia canes*, uno ore profitentes πολυθρύλλητον illud:

Spes confissa Deo nunquam confusa recedit.

Eapropter nullus admirationi relictus est locus, quod ab utrisque, & gentilibus secundum Pauli effatum ἀθέοις, & verum Deum colentibus non solum nominibus ad ἐλπίδα relatis, sed ipsa etiam Ἐλπίδος appellatione insignitos fuisse liberos, quod varia testantur monumenta. Ἐλπίδος vel SPEI nomen personis sexus sequioris adhæsisse non est incognitum, quamquam in lexico quinque virali perhibetur, Ἐλπισ Viri quoque nomen esse, cujus tamen exemplum reperire non licuit, nisi quod ab EUSEBIO Præpar. Evang. L. IV. c. 16. p. m. 155. Ἐυελπισ ὁ καρύστιος, EVELPIS CARYSTIOS citetur & cum plurima præsent feminarum Ἐλπισ dictarum. In Jan. GRUTERI Thesauro inscriptionum, ab orbe erudito tot plausibus excepto pag. 973, 1. legitur: ELPIS *Ampeli conserva*. Romæ in via ab Amphitheatro ad thermas Vespasiani visitur monumentum, exhibens effigies feminae & ma-

A 3

¶ et in *Aristophanis Avibus* itidem "Ἐυελπισ" sistatur,

& maris, subjecta inscriptione; *Lucius Stratonicus ELPIDI Earine conjugis & Venu-
line Rodonica filiae dulciss. & ELPIDIO Stratonico, & sibi & suis libertis libertab. q.
posteris q. eorum, quod eleganter æri incisum spectantium oculis subijcit Wilh. GOE-
REE in Antiqu. Judaicis, quas lingua Batavorum vernacula edid, Amstel. 1690. f.
P. II. L. V. C. I. pag. 559. In alio venerandæ antiquitatis *λευψάνω* apparet: Θ. Κ.
ΕΛΠΙΔΙ. ΕΩ  καὶ κωνσταντα τεμιωτατη απελευθερω ανεθικαν. quod delineavit
cum figuris adstantibus Laur. BEGERUS in Spicilegio Antiquit. S. III. 13. pag. 84. f.
qui notat GRUTERUM errasse legentem Θ. Η. Joh. BOISSARDO recte substituente Θ. Κ.
i. e. Θεοῖς καταχθονίοις *Diis Manibus*; (f) & cum GRUTERUS vocem Ἐλπίς no-
men appellativum esse, & per Ἐλπίς ἐώ  spem resurrectionis innui censeat, pro
nomine proprio potius accipit & inscriptionem ita explicat: *D. M. ELPIDI Eoi F.
& Censorine honoratissima liberta posuit.* Sæpius autem ΕΛΠΙΔΟΣ nomen re-
peritur Spiritu leni, quod & in aliis vocibus non raro fit, mutato in asperum
HELPIΣ. * Sic BEGERUS I. c. p. 85. ex BOISSARDO citat. *D. M. ELPIDI conjugis He-
lius B. M. F. v. A. XXXV.* Plures HELPIDES occurrunt in GRUTERO pag. 96. 9.
Puteolis inveniendum est: *Cunine felici sacr. Claudia HELPIΣ pag. 319.* Veronæ
ad S. Vitalem cernere datur: *Hateria HELPIΣ. mater, p. 613. 5.* Romæ apud Læ-
lium Lallum tabellæ marmoreæ incisum legitur: *Fl. Aug. Lib. HELPIDI Cœnidia-
na, qua cum vixit Dea & sanctissima dieta est, Callistus Aug. Lib. Hyginianus conjugis
carissima, cum qua bene vixit an. L. & Ulpia Calliste filia matri pientissima, p. 632. 8.*
hoc-*

(f) Frequentius nihil esse in inscriptionibus Græcis sepulchralibus quam siglas
Θ. Κ. & non aliter explicari posse illas, quam Θεοῖς καταχθονίοις atque idem
significare, quod *Diis Manibus* itidem affirmat Gisb. CUPERUS in Epist. ad The-
odor. Jansson. ALMELOVEENIUM in Nov. Miscell. Lipsienf. Vol. III. P. 4. p. 702.

(*) Henricus VALESIVS ad AMMIAN. MARCELLINI Lib. XXI. c. (c) p. m. 273. Edit.
Parif. 1681. de HELPIDII nomine observat: „ Hoc nomen passim in Latinis
„ autoribus adspiratur, cum tamen Græci Spiritu leni pronuntient. Sic et-
„ iam in veteri inscriptione legitur: *pro. salute. sua. & HELPIDIS. sua.*
„ Olim Græci in hujusmodi *πνευματισμοῖς* magnopere variarunt. Nam ut ab
„ eadem voce non discedam, Ἐλπίς alii Spiritu leni, alii aspero pronuntiarunt: ut
„ patet ex eo, quod *αφελπισμένω* & *αφελπισμένω* multi dicebant, teste ve-
„ teri Glossario. Plura exempla suppeditat EUSTATHIUS in L. I. Odyss. ubi *Atticos*
„ aspiratione delectatos esse refert ex *ÆLIO DIONYSIO.* Sed observavi Latinos
„ Græca nomina ferè adspirare solere, ut cum *Herodotum* & *Herophilem*, &
„ *Herodicum* scribunt, cum *Erodotus*, *Erophile*, & *Erodicus* emendate scribi
„ debeant. *Erodotum* quidem passim in Græcis editionibus adspirari hodie
„ videas; sed id mendum esse non dubito.

hocce exhibitur epitaphium: *D. M. Cn. Arrius Cn. Lib. Hermes medicus Julia Chrestæ Collactiæ suæ carissimæ secum & Harriæ HELPIDI conjugis karissimæ benemerenti & sibi & posteris q. eorum* Ut plura silentio præteream. Romæ in S. Pancratio legi: *D. M. Pompeje HELPIDIS Livin. Ismarius conjugis* refertur in Epist. amceb. Thom. REINESII, *Casp. HOFFMANNI, & Christian. Ad. RUPERTI* XLI. pag. 331. Et inter monumenta in Italia via Nomentana eruta, septimum *Ampudæ HELPIDI* est dicatum, v. *Joh. NICOLAI* de Sepuchris Hebræorum Cap. XV. §. 7. pag. 202.

In Lapide Eloquentino teste *Jac. SPONIO* in Miscell. Erud. Antiquitatis pag. 144. legitur: *HELPIA Livia Ad Valetudinar. i. e. Adjutrix Valetudinaria* seu Clinica juxta explicationem *Joh. Alb. FABRICII* in Biblioth. Græca L. VI. c. 9. Vol. XIII. pag. 176. Quales gynæcia curasse & curam adhibuisse mulierum passionibus videntur *Laur. PIGNORIO* de Servis p. m. 37. Edit Patavin. an. 1665 quod probat antiqva inscriptione: *Secunda Livilla Medica*. Cui assentit alia apud *GRUTERUM* p. 635. 10. *D. M. Juliae Quintilianæ Clinice Fil. Karissimæ, Mater posuit & sibi.*

Nec a gentilibus duntaxat nomen ἙΛΠΙΣ fuit adhibitum, sed & Christo consecratas fœminas idem usurpasse, inficias iri nequit. Ecclesia Latina ipsi Calendis Augusti recolit memoriam Virginis, cui nomen fuit SPEI, sororumque, quæ *FIDES* & *CHARITAS* fuerunt nuncupata, sub *HADRIANO* Imper. martyrii coronam adeptarum, (*) Quarum Ecclesia Græca in Menæis suis meminit d. XVII. Sept earumque honori, illi, qui singulis sanctorum subjunxerunt inscriptionem, dicarunt sequentem: *Τῆ παρὰ σε πίστει πίσις, ἙΛΠΙΣ, Ἀγάπη αἱ τρεῖς, Τρεῖς, κλίμασσιν ἀνχένιας ἑπίφει.*

Quam *Urb. Godofr. SIBERUS* in Martyrologio metrico Eccles. Græcæ interpretatus est, pag. 300.

Vera fide in te, Pistis, Agape tres, Trinitas, ferro secundum dant caput.

Anicii Manlii Torquati, Severini *BOETII*, quo Romam à *Varronis* temporibus non habuisse doctiorem dicitur, Consulis & Magistris officiorum conjux, quam etiam

(*) Ast *Mich. GEDDES* Anglus in Libro, quem *Miscellaneous Tracts* inscripsit Londini 1705. excuso, suspicatur, cum nusquam amplius trium harum virginum, uno eodemque die & loco interfectarum mentio occurrat, quod vel error hic ex *Calendario gentili* in Martyrologium Romanum irreperit, in quo *Festum D. Spei* celebratum legitur; vel, quod, cum vitutes tres cardinales, *Fides, Spes, Charitas* perpetuum Romæ martyrium subeant, diem hunc, Gentibus etiam festum, virtutibus illis, veluti personis dirissimo Martyrio subjectis, conservare *Gregorius M.* Pontifex religiosum omnino duxerit, vid. *Acta Eruditorum An.* 1707. Novembr. p. 491, seq.

iam literis, poëti inprimis, excelluisse ferunt, nomine ELPIS innotuit, teste ejus epitaphio :

*ELPIS dicta fuit, Sicula regionis alumna,
 Quam procul à patria conjugis egit amor.
 Quo sine mœsta dies, nox anxia, flebilis hora,
 Cumque viro solum Spiritus unus erat.
 Lux mea non clausa est, tali remanente marito,
 Majorisque anime parte superstes ero.
 Porticibus sacris jam nunc peregrina quiesco;
 Judicis æterni testificata thronum.
 Neve manus bustum violet, ne forte jugalis
 Hac iterum cupiat jungere membra cinis.*

Joh. Jacob. HOFFMANNUS Lex, Univers. Tom. I. pag. 593.

Inter HERODIS M. immaniissimi illius Tyranni conjuges ultimum locum occupat quoque ELPIS apud JOSEPHUM Antiquit. Judaic. L. XVII. c. 1. p. 584. & de Bello Judaic. L. I. c. 18. p. 765. Edit. Aurelian. an. 1611. quæ in personati HEGESIPPÏ Histor. de excidio Hierosolymæ (cujus architectum fuisse AMBROSIUM Ecclesiæ Mediolanensis Præsulem Viri docti censent, juxta BUDDEUM in Histor. Eccles. V. T. Prolog. 9. 10. p. 14. sq.) L. I. c. 42. fol. 16. b. Edit. Colon. an. 1530. vocatur HELPIS, ex qua genuit SALOMEN, quæ nupsit filio fratris ejusdem PHERORÆ, elocante illam Cæsare AUGUSTO, qui illi & ROXANI, sorori ex PHEDRA natæ, quas pater virgines reliquerat, ducenta quinquagena millia argenti signati donaverat. JOSEPHUS Antiqu. Lib. XVII. c. 13. pag. 612. & de Bello Jud. L. II. c. 4. p. 583. conf. Christian. NOLDII Hist. Idumæa §. 11. p. 107. & §. 43. p. 290. Edit. Franeqv. an. 1660. 12. item Bertinische Heb. Opffer Voll. in II. Beytrage 8. pag. 204. f. & Tabula Genealogica Hadr. RELANDI Palæstinæ L. I. c. 30. p. 174. inserta.

Quemadmodum autem hæc ipso ELPIDIS nomine usæ sunt, ita varias ab Ἐλπίς derivandas denominationes utriusque sexui impertitas fuisse, prisca testatur ætas. ELPINICEN Cimonis ducis Atheniensium sororem & conjugem PLUTARCHUS in PERICLE p. m. 151 & 167. ut & in CIMONE pag. 480. commemorat. ELPINUM primum Olymp. CVI. Atheniensium Archontem Car. SIGONIUS Opp. p. 584. Edit. Wechel. Hanov. 1609. exhibet. ELPENOREM socium ULYSSIS ex ebrietate misere perentem decantant HOMERUS Odyss. κ. & λ. & OVIDIUS Metamorph. L. XIV. Fab. 5. & Trist. L. III. El. 4. quem à POLYGNOTO celeb. pictore in edificio illo, quod *Leschen* Delphi vocabant pro vestimento, nautarum more, velatum storea pictum, refert PAUSANIAS in Phocicis f. Lib. X. c. 29. p. m. 870. Edit. KÜHNII Lipsf. 1696. cui & CLEMENS ALEXANDRINUS comparat ebriosos, Ὅτῳ τρέπω ἙΛΠΗΝΩΡ ἀσεβήγαλον

ἰάγην

ἑάγη καταπεσών ὑπὸ μέθης, ἔτω τέταν ὁ ἐγκέφαλος ἀνώθεν ἰλιγιδίας ὑπὸ
 μέθης, ἐπὶ τὸ ἦπαρ καὶ τὴν καρδίαν, τετεσιν ἐπὶ Φιληδονίαν καὶ τὸν θυμὸν καταπίπει
 πλῶμα κείλων. Qvemadmodum ELPENOR fregit calcaneum, cum cecidisset propter
 ebrietatem: ita eorum cerebrum præ ebrietate caligine offusum, ad cor & jecur hoc est
 ad voluptatem & iram majori casu decidit Pædagog. L. II p. m. 117. c Edit. Dan.
 HEINSII, Lugd. Bat. 1616. Thom REINESIUS Syntagm. Inscript. Class. III. LV. p. 323.
 exhibet inscriptionem Beneventi repertam: *Helene Augustæ Genitrici D. N. Constanti-
 nini Max. Victoris & triumphat. semper August.* ELPISTICUS V. P. P. Rer. privatar.
 pietati eorum semper devotissimus. REINESIO autem h. I ELPistici nomen in
 ELPIDII transformato obloquitur HEUMANNUS in Act. Philos. Vol. III. Sect. XVIII.
 4 § 6 p. 919 Gruterus p. 473, no. 8. Inscriptionem sinit, in qua *Helpidiani* le-
 gitur nomen, quod, ob superius evicta, idem est ac *Elpidiani*. Celebris ille Anti-
 quitatum Italicarum promus condus Petr. Sant. BARTOLUS Italus, in libro, quem ver-
 naculo sibi idiomate sub titulo: *Gli antichi sepolcri, ovvero Mausolei Romani ed Etrusci*
 edidit, Romæ 1704. f. Tab. IV. designavit sepulchra in Laur. Corsini villa ante por-
 tam S. Pancratii in via Aurelia detecta, quorum uni inscriptum legitur: *L. Valerius*
Felix fecit sibi & Ælia ELPIDUTI conjugi sue item liberis libertabus q. poster. q. eor-
um & Cominia Crisidi conjugi sue, GRUTERUS l. c. pag. 702 1. monumentum profert
 his notatum lineis: *D. M. C. Pomponio Evandro & Callisto & Diadumeno & ELPI-*
DEPHORO (g) Q. Pomponius Evdemon & Pomponia filius dulcissimus & sibi fecerunt.
 VICTOR Episc. Vicensis de persecutione Vandalorum L. III pag. 661. in corpore Au-
 tor. Hist. Eccles. per Beat. RHENANUM Basil. 1539 f. de ELPIDOPHORO quodam, qui
 in Ecclesia orthodoxa Carthaginensi regenerationis Sacramento quondam initiatus,
 postea in Arianorum castra transiens, apostatarum more, crudelissimus extabat fide-
 lium persecutor, refert, quod *Murrina* Diaconus, qui illum olim sacro baptismatis
 fonte lotum susceperat, nunc autem cum cæteris Ecclesiæ Carthaginensis ministris
 coram ELPIDOPHORI hujus tribunali plectendus erat, illum, veste lustrali, qua
 istum olim texerat, publice ostensa, ob defectionem à vera fide gravissime objurga-
 verit. E Martyrum choro duo celebrantur ELPIDIPHORI, alterius natales, uti
 diem, qua propter nomen Christi cæsi sunt illi fidei heroes, appellare consuevit pri-
 scæ Ecclesiæ devotio, in fastis Ecclesiæ Græcæ III. Aprilis incidunt, cujus elogium
 apud SIBERIUM l. c. p. 122. his conceptum est jambis:

B

"Οντως

(g) Qvam nominis hujus pronunciationem, utut alias etiam ELPIDIPHORUS
 & ELPIDOPHORUS efferatur, genuinam esse patet ex ΣΥΔΑ, qui Ἐλπίδηφό-
 ρος ὄνομα κέρειον scribit T. I. p. 717. Ed. Ludolph KÜSTERI Cantabr. 1705.

Ὅντως ἀληθῆς μάρτυς ἘΛΠΙΔΙΦΟΡΟΣ,
Θεὸν Φέρον ἀψευδὸν ἔλπιδιφόρον.

Sincerus ille Martyr Elpidiphorus

Suffulcientem spem gerit bonum Deum.

Alter cum focis *ACYNDINO*, *PEGASIO*, *APHTHONIO* & *ANEM-
PODISTO* in Perfide fidei certamen exantlavit, & diem suæ comilitonumqve me-
morix dicatum fortitus est in Ecclesia Græca & Latina d. II. Novembr. atqve hoc
carmen in Menæis Græcorum:

Ἀκίνδυνον πῦρ, τὰς δὲ λοιπὰς τέταρτος
ἔς μὲν τὸ πῦρ ἔκτεινεν, ἔς δὲ τὸ ζῆϕθ.

Acindynum pyra, cæterosque quatuor

Simul vel ignis flamma, vel ferrum necat.

Ast, cujus præcipue causâ hæc congesta sunt, in tuum, *VIR PLURIMUM
REVERENDE*, *ELPIDI* NOMEN inquisiturus, tantum non totam, quam Civilis sivist
& Ecclesiastica Literariaque Historia, *ELPIDIORUM ELPIDIARUM*qve phalan-
gem deprehendo. Siquidem tam fœminæ, quam viri hæc denominatione insignes
procedunt, offendenturqve, sive Gentilium avia perlustrare, sive in Ecclesiæ Christo
devotæ pomeria exspatiari placuerit. Quosdam ab oblivione vindicavit *Gruterus*
l. c. ut taceam *ELPIDIUM Stratonicum*, *ELPIDIS Earina* & *L. Stratonici* Fil. cujus
supra jamjam illata est mentio; illo teste, Romæ in horto *Julii Pontif. Max.* sub la-
pide terminali, cui caput Satyri cum cornibus impositum, legitur: *M. ELPIDIUS
Eros* p. 1074, 8. Fide *SCALIGERI* pag 662. hanc inseruit Epigraben: *M. ELPIDI-
US Pamphilus Platonis Tante suo benemerenti fecit.* Q. Aurelius *SYMMACHUS*, stren-
uus ille Gentilismi propugnator, duas & viginti L. V. à 75. usque ad 98. & L. VII.
18. epistolas direxit ad *HELPIDIUM* quendam, qui sine dubio eidem, cui *SYMMA-
CHUS*, superstitioni deditus fuit, quippe illum Ep. 35. inivit, ut honorem diei *Mi-
nerve festi sua augeat presentia*, cujusque, juxta superius annotata nomen *HELPIDII*
idem est cum *ELPIDI*, pag. 25. seq. & pag. 264. Edit. *Phil. PARI* Frfurti. 1651. 8.
CUPERUS in notis ad *LACTANTIUM* de mortibus Persecutorum p. m. 95. Edit. *Joh.
COLUMBI* Aboæ 1684. mentionem injicit *HELPIDII*, qui *rapidissimus canis* vocetur
in passione *SERAPHIÆ* virginis, quæ Romæ cum ardentibus facibus inflammari non
posset, fustibus cæsa, de hinc gladio decollata est sub *HADRIANO* Imperatore, teste
Martyrologio Romano ad 3. Sept. p. 606, f. Edit. à *Cæsare BARRONIO* adornata at-
que Colonia Agripp. 1660. typis expressa.

ELPIDIARUM quædam quoque prostant inter Gentiles. In Epist. *Reinesii
Hoffmanni* & *Ruperti* l. c pag. 330. profertur inscriptio Beneventi sub arcu pontis
Calori superstes: *C. Lentuellus Q. F. Falerius monumentum facere curavit, & uxori
sue ELPIDIÆ. P. F. Neris fidem probavit.* Quæ ad mentem *REINESII* reficita in ejus
syn-

syntagm. inscriptionum antiqv. Cl. XIV. 94. pag. 749. aliquot verbis aliter sonat, Inter Titulos Sepulchrales ad viam Nomentanam conspicuos XIXmus ELPIDIAE itidem continet nomen; *M. Coccejus Magoricia*, *M. Coccejus Gl. Menicano Cocceja M. F. Philumina ELPIDIA M. Lasso. Nicolai l. c. p. 204.*

ELPIDIOS autem ELPIDIASque è Cœtu Christianorum excitaturo offert sese ELPIDIA nutrix GALLÆ PLACIDIAE *Augustæ*, THEODOSII M. F. primum ATALPHI Reg. Wisigoth postea CONSTANTII Aug. conjugis, quam apud hanc plurimum gratiæ potuisse testatum reliquit OLYMPIDORUS Eclog. Histor. pag. 152. in Tom. I. Script. Rer. Byzantinarum Edit. Venetæ novissimæ.

Ex Histor. Eccles. notus est ELPIDIUS Rhetor, qui Sec. IVto per *MARIUM* qvendam Ægyptium ex cohorte Gnosticorum, à veræ fidei tramite seductus, PRISCILLIANUM, virum nobilem & eruditum, postea Abilæ, in Hispania Episcopum, qui *Priscillianistarum* hæresi suam communicavit nomen, fœdis ex *Gnosticorum*, *Manichæorum*, *Valentinianorum* & *Sabellicorum* lacunis erroribus imbut, adeoque corrupt, ut per eum non solum in Hispania, sed & in tota ferme Ecclesia occidentali magnæ cierentur turbæ, donec uterque cum Sociis in Synodo, *CÆSAR AUGUSTÆ* in Priscillianistas a. 381. congregata, condemnatus, & gladio denique peremptus est: quæ fufius persequitur *Sulpit. SEVERUS* Hist. Sacr. L. II. pag. 146. seq. Ed. Lugd. Batav. 1626. 8. conf. *Frisdr. SPANHEMII* Hist. Christiana Sec. IV. pag. 861. f. Oper. Tom. I. ELPIDII Comit. Apostatæ, meminit *NICEPHORUS Callistus* Hist. Eccl. L. X. c. 29. col. 594. seq. Edit. Latinæ Frfurt 1588. f. qui sub *Juliano Apostata* imperatoriæ domus, sive Latinorum lingua, Comes rerum privatarum erat, & ut Imperatori gratificaret, veram fidem abjuraverat. Hicce ELPIDIUS, cum *JULIANUS* sacra vasa pretiosissima Ecclesiæ magnæ, à *CONSTANTINO M.* extractæ, in fiscum Imperatoris inferre iussisset, ideoque foribus templi clausis, ne quis eo ingrederetur, curasset, cum *Juliano* Imperatoris avunculo, gentili, & *Felice*, imperialium pecuniarum publicarum quæstore, itidem apostata, templum illud diripiebat, blasphemias in Christum simul effutens. Cujus sacrilegii quidem tardius, quam complices, quos morbis horrendis excruciatos morte miserima è terra viventium, brevi post scelus commissum tempore, extinxerat vindictæ Divinæ gravitas, duras tamen luebat pœnas, Siquidem inter eos, qui tyrannidem affectarant, deprehensus, bonis omnibus exutus, gravesque ærumnas alias in carcere perpeffus, turpiter vitam finiebat, sacer & detestandus ab omnibus judicatus. ELPIDIUS ex Patricio & Sicilia Pratore Imperator post in Africa occisus est an. Dom. DCCXXC. in Sicilia appellatus an. Dom. DCCXXC. non longe post in Africa occisus est an. Dom. DCCXXCI. vid. *Johan. GVALTHERI* Chronicon Chronicorum Politicum ex *Onuph. Panvini* Roman. Princip. L. II, p. 120.

Melioris longe notæ erat *Russicus* ELPIDIUS, stirpe nobili ortus, & ex recensione *PROCOPII* de bello Gothico L. I. p. 3. in Tom. II. Script. Rer. Byzantinarum;

THEODORICI regis Gothorum Archiater, qui versibus Hexametris Historiam utriusque Testamenti complexus est, item tractatum de Beneficiis Christi literis consignavit, quæ opuscula, *Georg. FABRICIUS* Chemnicensis & *Andr. RIVINUS* Lipsiensis publicarunt, docentibus *Casp. BARTHIO* Adversar. L. XXVI. c. 9. p. 240. & *Petr. ZORNIO* Diss. de Hymnorum latinæ Ecclesiæ collectionibus §. 2. Tom. I. Opusc. Sac. pag. 52 sq. Huncce ELPIDIUM V. C. & INL. ex quæstorem appellat *FABRICIUS* Biblioth. Græc. Vol. XIII. p. 148. & Mediolanensem fuisse ex *ENNODII* L. IX. Ep. 21. docet, simulque refert THEODORICI Regis ad hunc ELPIDIUM extare epistolam, quæ HELPIDIO item *Diacono* inscribatur apud *CASSIODORUM* (h) L. IV. Variar. Ep. 24. in qua, cum impensè ab eo servitii sedulitatem commendet, hoc ipsum medicinæ obsequium intelligat. Ex quibus, si mentem Viri Cl. recte capio, apparet ELPIDIUM hunc & Medici & Diaconi munere functum fuisse *LEONTIUS* Mechanicus in Diss. *ᾠθὶ κατασκευῆς Ἀρχαίας σφαιρας* in gratiam THEODORI familiaris sui scripta, quæ præfixa est scholiis in *ARATI* poema, quod *Φαινόμενα* audit, narrat, *Sphæram Araticam*, qualem desiderabat THEODORUS, se jam construxisse ELPIDIO *scholastico* ἀνδρὶ ἀξιολόγῳ ἑμῆ καὶ Φιλομαθεῖ referente *FABRICIO* l. c. L. III. c. 18. Vol. II. p. 4 (6. not. *) qui addit: Ni fallor, hic est ELPIDIUS *Patricius*, qui deinde primo anno *MAURITII* missus est legatus ad *CHAGANUM* Avarum Regem teste *CEBRENO* Hist. Synops. p. 311. in *Script. Hist. Bizant. T. VII.* quemque ELPIDIUM, ἀνδρα ἐς συγκλήτην Βελήν ἀναγόμενον τῆς δὲ Σιμελίας ἡγεμονεύσαντα, καὶ τῶν τῷ πρώτοισι ἐπιβάντα Βημάτων, i. e. *Jac. Pontano* S. J. interprete Imperialem senatoreum Siciliae præturam functum fuisse perhibet *THEOPHILACTUS* *SIMOCATTA* *Histor. L. I. c. 4* pag. 14. Tom. III. *Script. Rer. Byzant.* ELPIDIUS *Episc. Laodicensis* *Joh. CHRYSOSTOMI* partes invictio animo tuitus, & ELPIDIUS *Cappadox* anachoreta, s. solitudinis amator, qui annis XXV. in spelunca quadam vitam transiens,

(h) Non enim *CASSIODORUM*, sed *CASS ODORIUM*, potius vocatum fuisse affirmant, *Jac. SIRMONDUS* ad *ENNODII* L. III. *Epist. i.* vid. *HEUNANNUS* l. c. c. IV. §. 26. not. (z) p. m. 44. & comes *Scipio* *MAFFEUS* in *Titulo* *CASSIODORI* *Complexionibus* in *Epp. & Act. Apostol. & Apoc.* quas, dum deperditas crederent, è vetustissimis *Canonicorum Veronensium* membranis erutas, primum edidit *Florent.* 1721. præfixo, quam scribendi hujus nominis rationem contra *Justi* *FONTANINI* objectiones tuetur in *Diss. de Senatoris nominibus, quæ de us, quæ in* *CASSIODORIANÆ* *editionis fronte mutata sunt, ratio redditur.* in Tom. II. *Observat. Liter. quæ inserviunt continuationi Ephemeridum, quæ sub titulo Giornale de Letterati d' Italia* idiomate *Italo Veronæ* prodierunt no. 8. v. *Neue Zeitung von gelehrten Sachen, Leipzig* An. 1722. XLIII. pag. 613. seq. & An. 1738. LXXXIV. pag. 663, seq.

gens, bis ibi tantum in hebdomate vescebatur, allegantur in HOFFMANNI Lex. Univ. l. c. v. *Elpidius*. Cum *Endoxius* sedis Constantinopolitanæ, & *Acacius* Seleucienfis Præsules, Arianis faventes, Episcopos orthodoxos, formulæ fidei, in qua τὸ ὁμοσίου in articulo de filio Dei omissum erat, in Concilio *Sirmiensi* & *Ariminensi* compositiæ subscribere venientes, sub CONSTANTINO Juniore dignitate sua, variis, non religionis, sed aliarum rerum causis prætextis, dejicerent: ELPIDIUM quoque *Satalenorum* in *Armenia* episcopum, propter crimina quædam, illi falso intentâ, sede sua deturbabant. NICEPHORUS l. c. Lib IX c. 41. pag. 59 ELPIDIO Episcopo, cujus loci non liquet, LIBORII Episcopi Romani inscriptæ quoque sunt literæ, quibus Orientis Episcopos ad communionem Ecclesiæ occidentalis admittit, quas interuit Historiæ suæ NICEPHORUS Lib. XI, c. 8 p. 610. Per ELPIDIUM presbyterum Episcopi Illyrici ad Episcopos Asianos literas suas Synodicas una cum epistola Imperatorum VALENTINIANI & GRATIANI de S. Trinitatis τῶ ὁμοσίου s. substantiali transferendas curabant; qui, an etiam ita illorum se habeat prædicatio, exploraret. NICEPHORUS l. c. L XI c. 29 pag. 660 seq. HERMIAS *Sozomeni* (Sc. Fil. non *Sozomenus* cum Græce dicitur, ὁ Σοζομενὸς secundum *Joh. Albert. Fabricium* Biblioth. Græcæ L. V. P. 4. p. 121. in nota) Hist. Eccles. L. VIII, c. 21, p. 560. in collectione *Jo. Jac. GRYNEI* Basil. 1587. tangit ELPIDIUM Eccl. Constantinop. Presbyterum, de cujus terro scario refert, quod ad interimendum *Joh. CHRYSOSTOMUM* mercede conductus in aedes Episcopales irruerit, & aliquot comprehensus illum vulneratis, tandem captus, homicidii supplicio fuerit affectus. Inter Epistolas AUGUSTINI CLMA, declarans de rebus inestimabilibus parcissime loquendum exarata est ad ELPIDIUM, qui videbatur cum Arianis nonnihil sentire, atque Hipponensem huncce Episcopum quamvis incognitum facie, tamen quia errare crediderat, revocare ab errore conatus erat, & quem Augustinus Dominum eximium meritoque honorabilem & desiderabilem appellat. Opp. Tom. II pag. 444. Edit. Froben Basil. 1529. ALPIUM, de quo AUGUSTINUS tanquam concive *Tagaste* Numidiæ urbe nato, atque auditore suo Confess. L. VI. c. 7. sqq. varia memoratu digna recenset Opp. Tom. I p. 83. sq. illumque Tom. II. Ep. 8. ad HIERONYMUM p. 25. beatissimum Episcopum vocat, sub HELPIDII nomine scriptoribus vet. contra MANICHÆOS annumerat FABRICIUS l. c. L. V. c. 1. Vol. V. p. 29. ni forte fallor. S. MAXIMUS Θεολόγος καὶ ὁμολογητὸς à Græcis dictus, ex Protosecretario HERACLI Imper. monachus & Abbas Chrysopolitani prope C. Polin. monasterii, scripsit ad ELPIDIUM quendam Τετρακόσια καὶ ὀκτώσιν ἐπι ἀγάπης, quæ in Franc. COMBESII Edit. Opp. S. MAXIMI Paris. 1675. Tom. I. pag. 394. - 458. apparent; de quibus etiam differit PHOTIUS Patriarcha C. Politanus in Biblioth. Cod. CXCIII & CXCLV. Quæ & sub falso MAXIMI *Taurinensis*, (quippe qui non Græce sed Latine scripsit,) nomine, cum sua versione Vincent. OPSORÆUS Hagen. an. 1631. 8. edidit. v. FABRICIUS l. c. Vol. III, pag. 731. &

Vol. IX, pag. 443 & 512. In Actis Concilii Romani sub BONIFACIO II, congregati, quo lecti sunt libelli à STEPHANO Larisse Metropolitano, ejus ordinationem ad se pertinere contenderat EPIPHANUS Patriarcha C. Politano, transmissi, atque prolata è Scrinio Sedis Romanæ complures epistolæ, quibus constat eum specialem in Ecclesiis ILLYRICI gubernationem sibi vindicasse, quæ in Collect. Conciliorum Phil. LABBEI Tom. IV. & Jo. HARDUINI Tom. II. ex postuma Romana edit: per Luc. HOLSTENIUM curata extant integra, reperiuntur no. 3. ELPIDII STEPHANI & TIMOTHEI Episcoporum ILLYRICI libelli ad BONIFACIUM II, Pont. R. FABRICIUS I. c. L. VII c. 4. Vol. IX, pag. 429. In Indice nominum eorum, ad quos scriptæ extant NILI, ex Eparcho C. Politano monachi, epistolæ, qui adjectus est Leon. ALLATI Diatr. de N. LIS in calce Biblioth. Græcæ FABRICII Vol. IX. p. 89. citantur ELPIDIUS *Monachus* & ELPIDIUS *χρυσόχοϛ*. In Catalogo Episcoporum Regii Lepidi, urbis in Ducatu Reginenſi locum octavum occupat atque an. 458. floruisse dicitur ELPIDIUS in Franc. UGHELLI Italia Sacra Tom. II, col. 241. Edit. Seb. COLLETI Venet. An. 1717. AMMIANUS MARCELLINUS L. XXI. c. 6. p. m. 279. s. refert HELPIDIUM ad Præfecturam Prætorio promotum esse, additque ORTUS in Paphlagonia, *aspectu vilis & lingua, sed simplicioris ingenii, incruentus & mitis: adeo, ut cum ei coram innocentem torquere quendam Constantius precepisset, a quo animo abrogari sibi potestatem oraret, hæcque potioribus aliis ex sententia Principis agenda permitti.* Ad quæ Henr. VALESIO notat, (b) Fuit hic Christiano cultui deditus; quare non mirandum, si cum MARCELLINUS noster acerbius perstrinxit. Huic uxor ARISTENETE fuit, mulier ob pietatem eximiam celebranda, quæ SS. *Antonium & Hilarionem* magnopere coluit, ut docet HIERONYMUS in vita *Hilarionis* (p. m. 158. col. 1. Edit. Ffurt. 1684. Opp. Tom. I.) *Aristenete*, inquit, HELPIDII, *qui postea Præfectus Prætorio fuit, uxor, valde nobilis inter suos, sed inter Christianos nobilior, revertens cum marito & tribus liberis à beato Antonio &c.* Quam Matronam laudat LIBANIUS quoque L. IV. Ep. 44. & L. V. Ep. 10. quas ad HELPIDIUM illum scripsit, Eundem autem HELPIDIUM à LIBANIO in Orat. adversus *Polyclem* proscriptum esse observat Hadr. VALESIO ibid. Hic sine dubio HELPIDIUS idem est Præfectus Prætorio, ad quem directa fuerunt edicta CONSTANTII & JULIANI A. A. l. 3. C. de *Ferus* & l. 1. C. de *erog. mil. annone*. In Franc. ZAMBICARII Bononiensis editione Epistolarum LIBANII, quæ latine cum argumentis Johannis SOMMERFELDII prodire Cracoviae 1504. 4. 28ma Lib. I. inscripta est ELPIDIO & 320ma Lib. III. ELPIDII sociis, (vid. FABRICIUM I. c. Vol. VII. L. II. c. 10. p. 405.) qui ELPIDIUS, si recte conjicio, idem est, quem MARCELLINUS cum adspiratione dixerat HEPIDIUM, & ad quem VALESIO indice alia quoque profant epistolæ LIBANII.

Martyrologium Romanum ad IVtum Non. Martii p. 164. commemorat ELPIDIUM Episcopum in Cherſonſo passum; ad Calend. Septembris pag. 601. ELPIDIUM

ELIUM unum è sacerdotibus, qui in persecutione Vandalorum ob fidem catholicam varie afflicti & navi vetustæ impositi ex *Africa* ad *Campania* littora pervenerunt, & christianam disciplinam, in iis locis dispersi diversisque Ecclesiis præfecti, mirifice propagarunt. Ad IV. Non. Sept. p. 604. sq. ELPIDIUM Episcopum Lugdunensem XVII & *confessorem*; pariter & ELPIDIUM Abbatem in *Piceno*, qui præcipue colatur in oppido ab ejus nomine S. ELPIDIUS appellato. (i) Item ELPIDIUM doctrina & egregiis operibus nobilem, qui temporibus *CONSTANTII* Aug. fundus sit legatione in Orientem, adversus Arianos, missus à *Julio* Romano Pontif. Denique S. ELPIDIUM, socium S. *Eutichii* Episc. de quo *SIGEBERTUS* Gemblacensis in *Chronico* testetur, sacras ejus reliquias à regione *Masorum* an. Domin. 669. translatas esse in Gallias. Tandem p. 778. ad XVI. Kalend. Decembris, i. e. d. 16. Nov. quem TU, VIR *PLURIMUM REVERENDE*, hodie vivendo fauste attigisti, ELPIDIUM, qui, cum esset ordinis Senatorii, & coram *Juliano* Apostata Christianus fidem constantissime profiteretur, primum cum sociis *MARCELLO*, *EUSTOCHIO* aliisque equis indomitis alligatus & protractus, deinde in ignem coniectus gloriosum martyrium consummavit. Cujus & *MARCELLI*, *EUSTOCHII*que natales d. XV. Novembris celebrat Ecclesia Græca, eumque hoc ornavit carmine:

Πῦρ, ἘΛΠΙΔΙΕ σὺν δυοῖν ζέγειν φίλοις
ἢ τῶν ἐπάθλων ἐλπίς ἠρέθιζε σε.

SIBERO interprete l. c. pag. 375.

Flammæ amicis cum duobus perpeti

Spes prætorum, ELPIDI, incitavit te.

His, tanto natalium, doctrinæ, pietatis, munium, fidei, martyriique coronæ honore coruscantibus, existis, *FAVOR COLENDISSIME*, homonymus, gratissima *ELPIDI* appellatione ornatus atque beatus. Siquidem cunctis ominibus faustis, quæ mihi *FLPIDI* appellationi subjacere sunt visa, & quæ superius ex ordine recensui, Deo O, M. favente, tuam & mentem & vitam, & si ita vocare licet, fortunam quam optime congruere, facili negotio ad liq. dum perducere potest atque evinci. A primis quippe ungviculis in bonam spem adductus, per totum vitæ decursum *magnæ indolis signum* præ TE tulisti, quod *est*, *FLORE* L. IV. c. 8. asseverante, *semper sperare*, spe, quam in Deo collocaveras, TE nunquam depulsum iri certissimus. Nec TE literis incumbentem, artibusque ingenuis operam strenue navantem spes frustrata est unquam; quin potius indies in studiis humanioribus & sacratoribus majores

(i) Ex quo oriundus *ALEXANDER* à patria dictus de S. *ELPIDIO*, qui in libros quosdam *ARISTOTELIS* est commentatus, quemque cum *ALEXANDRO* *APHRODISÆO*, ab *Aphrodisiade* *Cariæ* urbe cognominato, confundi à nonnullis notat *Jonsius* de *Scriptoribus philosoph.* pag. 352.

QK II 40

337 2205

faceres progressus. Cum adolescentia TUA duris premeretur fatis, omnia adverſa fortiter pertuliſti, TE ipſum obdurans, atqve innixus ſpe,

qvæ fovet, & melius cras fore, ſemper ait. (k)

Eaque minime defecit, qvia, qvo *fata divina traherant retraherantqve ſecutus*, portu, ad qvem tendebas, alpirante gratia divina feliciter invento, de fauſtiſſima caſtrophe gaudes. Spes etenim, in qvam de TE ingreſſi erant *pieniſſimi PARENTES*, TE ab utero materno Dei immortalis miniſterio conſecrantes, nuliatenus decollavit; ſed *grata ſuperveniebat*, cum vix *ſperabatur, hora*, qva rite vocatus ſpartæ, qvam egregie ornas, admovebaris, gregemqve Domini curæ fideiqve commiſſum TUÆ verbo & ſacramentis paſcis, non ſine conſpicua benedictione, qvam Numen æternum largitur cumulatiſſime. Tandem cum fons bonorum inexhauſtus, Pater ſummus luminis, tot TE bonis & temporalibus & ſpiritualibus beaverit, qvæ TIBI de ſpe æterna, i. e. immarceſſibili gloriæ corona fidis ἀρχιπρωτόν & ſervis in cælo reſoſita aliquando impetranda aſfulſit, ſpem non defecturam eſſe omni πληροφροſία conſidere poteſ. Ut ergo hiſ rationibus rite ſubductis genuini ELPIDI exemplar in TE me contemplari nullus dubitem. Votorum igitur, qvæ in tuam, VIR PLVRIMUM REVERENDE, gratiam, pia devotione excitus immo tractus, nuncupo, hæc eſto ſumma.

PERREVERENDE, tui Vir nominis, ELPIDIE, impleſ

Certe qvem nutum ſpes dedit alma TIBI.

Nominibus, fateor, non ſemper congruit omen;

Fallitur augurio ſpes bona ſæpe ſuo.

ELPIDIE, ac nec Spes dulcis, nec Nomen amatum

In TE deſciunt; nomen habes & amen.

Eventusqve ſpei conceptæ mente reſpondent,

Dum ſperata iubet cunſta venire Deus.

Qvem forſe TE qvondam placidi voluere Parentes,

Factus, cum plauſu munia ſacra ſubis,

Grata ſupervenient, ſperas qvæcunqve futura,

Donec TE cælis ſpes ſaturata beat.

ELPIDIE incolumis vivas ſic tempore qvovis;

Hunc jubeat Numen ſæpe redire diem,


Nec fore, qvæ fundo fido TIBI pectore, vota

Irrita, me nunqvam Spes dubitare ſinet,

(k) TIBULLUS L. II, El. 6.



Handwritten mark or signature in the bottom right corner.



B.I.G.

Farbkarte #13



LPIDIUM,

ex

atis priscæ monumentis
erutum,

V I R O

imum Reverendo

DOMINO

IANO ELPIDI

ISTOPHORO

RESENIO,

rum in Pago Nieder-Oderwitz,

fimo pariter & meritissimo,

VI. Kalend. Decembris,

IDII memoriæ in Fastis

Ecclesiæ sacra

. O. R. MDCCXLVII.

rvantiaæ atqve devotionis

erga

n summopere colendum

EKMHPION

consecrat

arus Salomo Hausdorffius,

Gymn. Zittav. Alumnus.

Æ, Literis Joannis Gottlibii Nicolai.

